

CICERO PRO A. CLVENTIO.

A vobis judices, antequam de ipsa causa dicere incipio, hæc postulo: primum, id quod aequissimum est, ut ne quid huc præjudicati afferatis. Etenim non modo auctoritatem, sed etiam nomen judicum amitteremus, nisi hic ex ipsis causis judicabimus, ac si ad causas iudicia, jam facta domo deferemus. Deinde, si quam opinionem jam vestris mentibus comprehendistis; si eam ratio convellet, si ratio labefactabit, si denique veritas extorquebit: ne repugnetis, eamque animis vestris aut libentibus, aut æquis remittatis; tum autem, cum ego unaquaque de re dicam, & diluam, ne ipsi quæ contraria sunt, taciti cogitationi vestræ subjiciatis; sed ad extremum exspectetis, & me meum dicens ordinem servare patiamini: cum peroraro, tum, si quid erit præteritum, à me requiratis.